

mediante intellectu & voluntate productam; qvemadmodum
hoc ipsum, si penitus aliquantulum rimari velimus, adjectus ter-
minus, *Moralis*, uberrimè explicat. Hic enim non coactam ali-
qam actionem, sed actionem à liberâ hominis voluntate effectivè
dependentem, rectæq; rationi vel obseqvi vel resistere aptam na-
tam designat. Neq; verò sermo est de *actionibus interioribus*, qvæ
per se & immediatè ab ipsâ voluntate elicuntur, atq; in eâdem,
ceu actus ejus vitales, recipiuntur; sed de exterioribus, qvæ in
fensus, & publicam incurunt lucem, & ab internis voluntatis
liberæ, ac prædeliberati intellectus actibus proximè oriuntur.
Priores enim *principia* dicendæ potius A. M. qvam ipsæ morales
actiones, unde & consequenter laudem ac vituperium admittunt
boni aut mali saltem principii, non actionis moralis. Ultimò de-
niq; differentiam qvandam agnoscimus inter *actiones morales &*
civiles, sicuti è subsequentibus manifestum fiet.

III. Expeditâ ὀμωνυμίᾳ fallaciâ, id mihi negotii potissimum
dari credo, ut, qvot modis cōsiderari possit actus humanus, qvo-
dammodo explicem. Priscorum aut Philosophorum autoritati
locum relicturus in duplice eosdem pono differentiâ, & dico, o-
mnem actum cōsiderari posse (α) *in esse naturæ*, prout præcisè est
qvædam Entitas, triplicem in rerum naturâ obtinens rationem,
actionis videlicet, passionis & qualitatis, (β) *in esse moris* qvando
nimirum ita concipitur, ut à voluntate liberâ fit, & per rationem
est, ut ita dicam, regulabilis, in quo genere considerato ad essen-
tiam ejus pertinent *circumstantiae*, tanq; essentialia ejus prin-
cipia & caussæ, qvæ eum *in esse moris* per se constituunt.

IV. Cùm verò non sim nescius, magnam omnino vim ma-
gnumq; momentum positum esse in observatō retum proponen-
darum ordine; & omne nostrum studium, actiones & labores
ad certum aliquem finem collata, eò perfectiora fore, qvò pro-
piùs ad eum, qvem sibi proposuere, portum accèdunt; ab eodem
temerè & cum emolumenti dispendio non sum discessurus, sed,
qvoad ejus fieri potest, methodicè progressurus, ita qvidem, ut
investigatâ A. M. ratione quidditativâ, affectiones qvoq; ejusdem
& adjuncta, & si qvæ alia sunt declaranda, declarem.

V. *Causas* proinde qvod concernit, *efficienti* primas adscribo

par-